

est, in quo plurima aromata condebantur, vbi eboreus lectus erat stratus, in quo imago cerea defuncti imperatoris iacebat. in cuius fastigio inerat aquila, ad quam ignis paulatim ascendens, illam vincula rumpentem, vt effugeret in cœlum, efficiebat. sicque defuncti imperatoris animam in cœlum fingebatur ferre. sicque consecratio seu relatio inter Diuos fiebat. quod verbum seu dictio in Nomismate ficta refertur sic, CONSEC RATIO. Cuius totam effigiem petendam esse ab Herodiano authore Græco lib. 4. iandiu in meis Nomismatibus admonui. Ideo hîc verba eius non operæ est pretium, vt ponam. Gradibus autem quatuor fiebat Tabernaculum ligneum quidem, vt in Nomismate apparet, quadrangula forma. Sed de his fatis. Hæc igitur pauca in bonam partem accipias percolende mi pater, quem iam iam cupio ex vultu & facie cognoscere, cum precipuè virtus tua ac dignitas, communisque patria Placentia me id mirum immodum facere impellant. Vale religiose Antistes, præsesque templi Diui Theodori Papiensis, meque tui amantissimum iam redama. Nono Cal. Maij. M. D. LV.

C. POSTHVMI DIANA.

Constantius Landus Comes Iulio Puteo S. D. P.



VM heri in celebri pompa Tancredum Sarzannensem ex Hetruria iuuenem infulis doctoreis à Francisco Alciato decoratum comitaremur domum, interque loquendum (vt fit) à te ego peterem, an quicquam noui ex Placentia vrbe, (cum nuperrimè illinc adueneris) afferres: narratisque quibusdam à te paucis, subiecisti postremo te numum quendam argenteum, quem mihi ostenderes, tecum habere, statimque è crumena numo tracto dedisti mihi, vt explicem, superinde dictitans te mihi illum largiri, quo à me accepto (cum etiam munus reijcerem) vt tantum tibi morem gererem interpretari cœpi, illicò ac me domum proripui, historiam igitur hanc breuem, & qualemcunque tui numismatis habeto, quæ à me aliàs lecta, modò succurrit animo, meliora cum reperero, ad te scribam: hæc nunc vtcunque sunt, legito.

IN Numismatis tui priori parte extat imago mulieris comas in nodum conglomeratas habentis, circinis vtraque tempora muliebri elegancia ambientibus, in posteriori autem partes nummi effigies seu species currentis canis adparet cum inscriptione, POSTVMA,
Sed